



<https://www.biodiversitylibrary.org/>

**Index seminum in Horto Botanico Berolinensi...
collectorum**

Berolini, Typis C. Feisteri ,

<https://www.biodiversitylibrary.org/bibliography/83585>

1861 appendix, 1867, 1867 appendix 1-3, 1871 appen:

<https://www.biodiversitylibrary.org/item/158976>

Page(s): Page 6, Page 7

Holding Institution: Missouri Botanical Garden, Peter H. Raven Library

Sponsored by: Missouri Botanical Garden

Generated 8 March 2024 2:42 AM

<https://www.biodiversitylibrary.org/pdf4/1677966i00158976.pdf>

This page intentionally left blank.

limbus cyathiformis subtetragonus, brevissime quadri-lobus et crenulatus, margine densissime pilosus. Corolla alba, tubo extus pubescente, superne ampliato, limbo quadrilobo, lobo inferiore reliquis paullo longiore. Stamina longe exserta, anthera rosea, polline albo. Achenium oblongum, fuscum, maturitate inter angulos prominulos planum non conspicue sulcatum, infra apicem involuelli denticulis coronatum.

CENTIPEDA MINIMA (L.) *A. Br. et Aschs.*

Artemisia minima L. Sp. pl. no. 19 (1753) cod. no. 6146.

Cotula minuta Forst. podr. p. no. 301 (1786).

Centipeda orbicularis Lour. fl. coch. II, p. 602 (1790)

Miq. Fl. v. Nederl. Ind. II, p. 89.

Myriogyne minuta Less. in Linn. VI, p. 219 (1831) D.

C. Prod. VI, p. 139.

Sphaeromorphaea? *Centipeda* D. C. l. c. p. 140.

β . **STERNUTATORIA** (Wall.)

Cotula sternutatoria Wall. cat. no. 3239/349.

Artemisia sternutatoria Roxb. fl. ind. III, p. 423 (1832).

Myriogyne minuta β . lanuginosa D. C. Prod. VI, p. 139 (1837).

Plantula inconspicua per Asiae calidioris et Australiae plagas late diffusa, etiam in Africae orientalis insulis obvia, specierum tam late propagatorum more magna synonymorum mole onusta, quorum e grege nomina pro speciei historia graviora elegimus, jamdiu in hortis botanicis sub *Myriogynes* minutae nomine colebatur, nuper vero, *Sphaeromorphaea Centipeda* audiens, denuo immigravit. Nomen genericum *Loureirii* Lessingiano multo antiquius praefendum jam Cl. Miquel (l. c.) docuit; cur vero speciei nomen a Linnaeo impositum, etsi auctor formam foliis latioribus obsoletius dentatis praeditam solam cognoverit, haud restituendum sit, non videmus.

CENTIPEDA CUNNINGHAMI (D. C.)

A. Br. et Aschs.

Myriogyne C. D. C. Prod. VI, p. 139.

Myriogyne minuta Benth. et F. Müll. Fl. Austral. III, p. 553 ex p.

Ceniaster rustateria hort.

Hanc formam, quamvis a Cl. florum Australiensis auctoribus cum specie modo exposita combinatam, caulibus erectis strictioribus et capitulis majoribus conspicuam, in horto nostro cultura longinqua nullo modo mutatam, distinctam retinere liceat, donec notarum illarum debilitatem ipsi experti simus. Monstrosam nominis *Ceniaster rustateria* progeniem brevi exponere juvat, quippe quae pro nominibus in hortis et herbariis vario modo, plantis futiliter determinandis, nominibus similiter sonantibus permutandis, prave transcribendis corruptis quasi paradigmatica sit. Prima enim vice aliquis plantam nostram, minime Cl. Bentham et F. Müller rationibus anticipatis, sed sola incuria, ut nomen selectum praebet, *Cotulam sternutatoriam* salutavit. Tum nescimus, quis pro *Cotula Cenia* arbitrarie substituerit. Porro quendam pro *Cenia sternutatoria* *Ceniaster nutatoria* scripsisse patet, quae nominis fabrica paullo amplius in *Ceniaster rustateria* corrupta, jamdiu in hortis inveteravit. (Aschs.)

ELSSHOLZIA PATRINII (Lepech.) *Garcke.*

VAR. **ABYSSINICA** *A. Br. et Aschs.* ind. sem.

h. Berl. 1866, p. 15.

Differt a typo superficie magis pilosa, imprimis foliorum (angustiorum) pagina inferiore et corollis (minoribus), calycis dentibus triangularibus acutis tantum (nec subulato-aristatis), antheris inclusis, corollae labio (ceterum albidae) inf. tantum lilacino, odore debiliore minus grato. An species?

E seminibus a Cl. Steudner, in expeditione per plagas Niloticas fatis functo, una cum *E. strobilifera* Bth. *Torenia plantaginea* (H.) Bth. aliis paucis speciebus, locis haud indicatis, verisimiliter in Abyssinia collectis et a Cl. C. Koch cum horto benevole communicatis exulta. (Aschs.)

CALAMINTHA UMBROSA (M. B.) *Benth.*

in D. C. Prod. XII, p. 232.

Melissa umbrosa M. B. Fl. Taur. Cauc. II, p. 63.

M. Nepalensis Klotzsch! in herb. reg. Berl.

Militabat in horto nostro sub nominibus *Melissae nepalensis*, *Blephiliae nepalensis*, *Hedeomae nepalensis*, *Scutellariae canescentis*, immo *Paederotae Ageriae*. Staminum superiorum alterum vel utrumque saepe cassum, ut Bentham l. c. jam indicavit, unde pro *Blephiliae* vel *Hedeomae* specie habebatur. Variat in apricis habitu ab exemplis caucasicis longe alieno, strictior, flavescens, foliis minoribus, *Stachydem* annuam L. vel *Sideritidem* montanam L. aemulans; quam formam nomine apricae distinguere liceat. (Aschs.)

SALVIA SCHIMPERI *Bth.* in D. C. Prod.

XII, 282.

S. hypoleuca Hochst. in sched. Schimper it. abyss. sect. III, no. 1916, non Bth.

S. Steudneri *A. Br. et Aschs.* ind. sem. h. Berl. 1866, p. 15.

Planta e seminibus a beato Steudner ex Abyssiniae montibus Simensibus acceptis exulta ab exemplis spontaneis ab eodem collectis adeo aliena evasit, ut notae illae externae, quibus *S. Schimperii* primo obtuto a *S. spinosa* L. facillime distinguebatur, fere omnes evanuerint, quum folia, textura firmiore amissa et tomento paginae inferioris floccoso quo exempla spontanea canescunt immo nivea apparent, exuto dentibus manifestis gaudeant, ceterum foliis *S. spinosae* ut in planta spontanea multo majora. Notis vero essentialibus, quae in *Salviae* speciebus distinguendis majoris momenti sunt, planta culta cum spontanea omnino consentit, a *S. spinosa* L. facillime bracteis basi albidis distinguenda, in qua bractee totae herbaceae. (Schweinfurth.)

ECHIUM CALLITHYRSUM *Webb.*

Frutex 4-5 pedalis, caule ramisque robustis, novellis velutinis cicatricibus foliorum latiuscule lanceolatis notatis, foliis ad ramorum summitates confertis anguste lanceolatis utrinque attenuatis subacutis, petiolo brevi tomentosulo, (foliis) discoloribus subtus molliter velutino-pubescentibus, supra breviter pilosis, nervo medio crasso, secundariis suboppositis, thyrsis termi-

nali cylindrico-elongato (basi lateralibus nonnullis minoribus saepe circumdato), rhachi angulata breviter pilosa, racemis dense positus basi bractea foliiformi longiuscula molliter velutina instructis pilis inaequalibus hirtis, inferne nudis medio bifidis ante anthesin scorpioideis, floribus sat parvis subsessilibus vel breviter pedicellatis, bracteolis oppositis, calycis setosi laciniis acutatis, corolla calyce duplo longiore extus subpilosa, lobis obtusis, stylo piloso apice glabro bifido, staminibus longe exsertis.

E. callithyrsus Webb. in Bourgeau Pl. canar. exsicc. No. 432. Nomen sine descriptione.

Habitat in montibus centralibus insulae Magnae Canariae locis rupestribus apricis: la Cumbre de Tenteniguada (Bourgeau, 1845). — Caidero de la Caldera supra vicum Tenteniguada (Carl Bolle, Junio 1856 fructifer.).

Floret Aprili.

Folia 5-7" longa, 6-11" lata; thyrsus ultra pedem longus multiflorus incipiente anthesi apice (num semper?) comosus. Flores, quos in hujus speciei patria non vidimus, in horto constanter coerulei tubo basi albicante observantur, in specimine sicco Bourgaeano violacei videbantur, rhachis in ipso fusca, in hortensibus viridis: tamen de ambarum plantarum identitate dubitatio vix ulla.

E. callithyrsus 1856 in hortum Berolinensem a nobis introductum arbuscula ibi fit ex elegantioribus.

Alia species canariensis e seminibus in horto Berolinensi nata mox eheu peritura neque adhuc descripta est:

ECHIUM HIERRENSE Webb.

Fructicosum, 2-3-pedale, ramis novellis albo-velutinis, foliis ad summitates ramorum confertis late lanceolatis acutatis in petiolum longiusculum attenuatis integerrimis circa 2-pollicaribus vel longioribus undique albescenti-velutinis supra nitidissimis subtus pallidis, caule florifero ad thyrsus usque foliis laxè dispositis pyramidatim foliato, thyrsus elongato pedali et ultra, denso, bracteis linearibus, racemis brevibus vix 1-pollicaribus inferne nudis superne densifloris junioribus apice scorpioideis, floribus secundis, calyce albescente hispide velutino, corolla calycem duplo excedente cyanea, genitalibus longe exsertis, stylo parte inferiore villosa, superiore glabro, apice profunde bifido.

E. Hierrense Webb. in Bourgeau Pl. canar. exsicc. No. 894. Nomen sine descriptione.

In rupestribus siccis insulae Ferro, quae hodiernis Hispanis Hierro nuncupatur, supra el Golfo (Bourgeau, 1845). Ibidem in descensu excelsi montis el Risco de Tibataje! 1856.

Floret Junio. Species formosissima, Echiorum plurium hispiditate omnino exuta, foliorum argenteo nitore quam maxime insignis eoque Buphtalma illa atlantica, *Odontosperma* nempe *sericeum* et *Smithii* referens.

Manent nobis alia publici juris non facta ex hoc genere Canariensia, quae quum viva in horto non adsint, alieno loco in lucem editura pollicemur.

(Carolus Bolle.)

PINGUICULA MORANENSIS H. B. Kth. nov. gen. II (ed. oblonga p. 184, ed. quadr. p. 226, 1817)?

P. caudata Schldl. in Linnaea VII, p. 393 (1832).
P. oblongiloba D. C. et *P. orchidioides* D. C. fil. in D. C. Prodr. VIII, p. 27 (1844).
Icon: Hooker bot. Mag. tab. 4231 (*P. orchidioides*)!

Planta speciosa, *P. orchidioidis* nomine ex horto Kewensi accepta a *P. caudata* Schl., specimine ab auctore ipso signato, quod in herb. reg. Berl. asservatur, collato non differt; in hoc enim calcar leviter curvatum, haud vero, ut auctor indicavit, rectum, foliaque et calcar minime glabra, sed pubis tenerae, Pinguicularum more exsiccatione nimis obsolescentis vestigia exhibentia. Reliqua descriptio Cl. Schlechtendalii bona. Neque minus *P. oblongilobae* D. C. et *P. orchidioidis* D. C. fil. descriptiones cum planta nostra conveniunt; distinctio inter illas mihi hac re videtur orta, quod *P. oblongiloba* ex icone tantum, certe juxta plantam vivam delineata, *P. orchidioides* vero e specimine siccato descripta sit; pubes ergo in hac praetermissa, in illa, ubi conspicue expressa erat, indicata; granula ista albida, quae *P. orchidioidis* adscribuntur, in plantae hortensis nostris nec non in *P. caudatae* spontaneae exemplis siccatis observare licet. Mensurae differentiae, a Cl. Candolleo filio pro his speciebus distinguendis allatae, plantae nostris variationis limitibus includuntur; variat exempli gratia pedunculis 2- (ex Schldl.) ad 7-pollicaribus! foliis $\frac{1}{2}$ - (Schldl.) ad 2-pollicaribus! Corollae etiam et calcaris longitudines in plantarum nostrarum exemplis non semper eadem; corollas vidimus uni-sesquipollicares; calcaris longitudo (sc. chorda arcus ab illo descripti) in utraque erat circiter pollicaris, ita ut calcar corolla reliqua aut brevius sit aut subaequale aut paullo, immo conspicue longius.

P. Moranensis H. B. Kth. descriptio satis quadrat in plantam nostram, si corollae longitudo 9-linearis calcari excluso intelligenda sit; folia semipollicaria Cl. Schlechtendal quoque vidit; cum vero de hac incertitudine specimine viso judicare non licuerit, synonymon illud antiquissimum cum dubitatione tantum afferendum est; si recte censeamus, Pinguiculae sectio I. *Orcheosanthus* a Cl. Candolleo filio appellata hanc solam speciem exhibeat, terrae Mexicanae regioni montanae popriam, ubi pluribus locis lecta est.

Restat ut de singulari hujus plantae perennandi modo pauca afferamus. Auctumno foliis rosulae (quae evolutionis a Cl. Buchenau in Pinguicula vulgari (Bot. Zeitg. 1865, No. 8) expositae analogiam adhibeamus, non axi qui aestate praeterlapso floruit, insidet, sed prolem anno insequenti floridum orditur) spathulatis internis, paullo minoribus succedunt nonnulla multo minora, linguiformia, iisque numerosa, aequae atque illa parva, ovata, acuta, ut planta postquam folia spathulata prorsus evanuerunt, Sempervi rosulam exacte referat, e cuius centro vere folia spathulata solitae magnitudinis cum pedunculis erumpunt. In icono Hookeriana folia illa hiemalia parvula in planta florente delineantur, quod teste Cl. C. Bouché, hujus horti inspectore, raro observatur, nobisque nondum in conspectum venit; plerumque florescentiae initio folia illa hiemalia jam evanuerunt. Itaque in hac specie, plagarum calidarum incolae, organorum figura paullo mutata, simillimum hiemandi modum observamus ei, quem clarissimi Wydler et Buchenau (l. c.) in *P. vulgari* L. nostrate praeclare de-